



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs Vndecimvs. De Baptismo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM LIBER VNDECIMVS.

De sacramentis Baptismi, & Confirmationis.

Ad 3. partem S. Thomæ à quæst. 66. vsque ad 72.



ABSOLVTO per quinque quæstiones explicatas tractatu de Sacramentis in genere, descendit S. Thomas ad agendum de singulis Sacramentis in particulari, & à quæstione, 66. vsque ad 71. agit de Baptismo: quæstione 72. de confirmatione: à quæstione 73. vsque ad 83. inclusiue disputat de Eucharistia: à quæstione 84. vsque ad 89. de penitentia: sed morte præuentus tertiam partem summæ, ac tractatum de penitentia reliquit imperfectum, ac de tribus reliquis Sacramentis, extremæ vnctionis. ordinis, & matrimonij in summa non egit, ideoque doctrina de ijs desumenda est ex libris sententiarum. Nos iuxta nostrum institutum percurrentes quæstiones S. Thomæ breuiter agemus de Sacramentis in particulari, ac primo de baptismo.

TRACTATVS XI.

De Baptismo.

QVÆSTIO LXXXV.

Quid sit Baptismus, & vtrum, & quando fuerit institutus à Christo?

S. Thom. q. 66. art. 1. 2.

1. **Q**uæritur primo, vtrum in baptismo detur aliquid, quod est sacramentum tantum; aliquid, quod est res simul, & sacramentum; & aliquid, quod est res tantum.

Respondeo affirmatiue cum S. Thoma, ac Theologis communiter. Probatur, & explicatur. Cum enim sacramentum sit signum sensibile sanctificationis internæ, illud sensibile, quod ita significat internam sanctificationem, vt ipsum vt potè immediatè subiectum sensui, non debeat significari alio signo, dicitur sacramentum tantum; sanctifi-

catio ipsa, quæ significatur, & non significat aliud sacramentale, dicitur res tantum; aliquid medium, quod significatur signo sensibili, & significat internam sanctificationem, dicitur res simul, & sacramentum; sed in baptismo datur sensibilis ablutio per aquam sub præscripta forma verborum, quæ ablutio ita significat internam sanctificationem, vt non debeat significari alio signo; datur interna sanctificatio per gratiam, quæ ita significatur, vt non significet aliud sacramentale; & datur character, qui ita significatur ablutione, vt significet internam sanctificationem, per gratiam; ergo &c.

2. Quæritur secundo, vtrum in Baptismo sacramentum tantum sit aqua, vel potius ablutio per aquam?

Respondeo, quod Hugo de S. Victore, parte 6. lib. 2. de sacramentis, cap. 2. insinuat in baptismo sacramentum tantum esse aquam, siquidem definiens sacramentum vs sic dicit, sacramentum esse materiale elementum, & definiens baptismum dicit, baptismum esse aquam. Reijcit S. Thomas hunc modum dicendi. Cum enim sacramenta nouæ legis causent internam sanctificationem, sacramentum est illud sensibile, quod cum ponitur, habet virtutem sanctificandi; sed aqua præcisè cum ponitur, non habet virtutem sanctificandi; sed solum illam acquirit, cum applicatur homini per ablutionem; ergo in baptismo sacramentum non est aqua præcisè, sed aqua vt applicata homini, hoc est ablutio per aquam. Ideo Magister in 3. dist. 4. dicit, quod baptismus est *ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum*.

3. Dices: ablutio transit; sed baptismus permanet; ergo baptismus non est ablutio, sed aliquid permanens.

Respondeo ex S. Thoma in resp. ad 1. distinguo minorem: baptismus permanet secundum id, quod est sacramentum tantum, nego: secundum id, quod est res tantum, & secundum id, quod est res, & sacramentum, concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Baptismus transit secundum id, quod est sacramentum tantum, permanet autem secundum characterem, qui est res simul,

Z

mul,

Tom. III.

mul, & sacramentum, & secundum gratiam sanctificantem, quæ est res tantum. Character tantum permanet indelebiter, ut dictum est, quia gratia permanet amissibiliter.

4. Quæritur tertio, quid sit baptismus, & quæ baptismi definitio?

Respondeo, quod baptismus metaphysicè, hoc est per genus, & differentiam, definitur in catechismo Romano, *sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*: physicè, hoc est per materiam, & formam definitur. *Ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum*. Coniungendo utramque definitionem, defini potest: *sacramentum ex diuina institutione significans, & causans internam, & spirituales regenerationem hominis per exteriorem corporis abluionem, sub præscripta forma verborum*. Hæc definitio explicat genus, & differentiam, causas, & effectum primarium baptismi. Genus baptismi est, ut sit sacramentum; differentia explicatur per alias particulas. Causa principalis est Deus baptismi institutor; causa instrumentalis est homo baptismum ministrans. Materia est exterior corporis ablutio per aquam; forma sunt verba præscripta *Ego te baptizo &c.* Causa finalis, & effectus primarius baptismi est interior, & spiritualis regeneratio hominis per gratiam sanctificantem.

5. Quæritur quarto, in quo sensu Damascenus lib. 4. de fide, cap. 10. dicat baptismum esse regenerationem, sigillum, custodiam, & illuminationem.

Respondeo ex S. Thoma in resp. ad 1. quod Damascenus baptismum definit, non secundum id, quod agitur, & est sacramentum tantum, sed secundum id, quod est interius, hoc est secundum characterem, qui est res, & sacramentum, & secundum internam sanctificationem per gratiam, quæ est res tantum. Quia ergo character est quoddam sigillum Christi impressum animæ, & quantum est ex se custodit animam, baptismum ratione characteris vocat sigillum, & custodiam. Quia per gratiam homo inchoat nouam vitam iustitiæ, & noua vita iustitiæ includit fidem, qua homo illuminatur; siquidem ut dicitur Abachuc 2. *Iustus ex fide vivit*, baptismum ratione gratiæ, ac fidei vocat regenerationem, & illuminationem, præsertim cum baptismus sit quædam fidei protestatio, ideoque dicatur sacramentum fidei. Addit S. Thomas loco citato, quod quia baptismus disponit ad alia sacramenta, ac proinde dicitur ianua sacramentorum, ideo Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia baptismum definit in ordine ad alia sacramenta, dicens, quod est *quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis ad eorum susceptivam opportunitatem animales habitus, ad super celestis quietis anagogem nostrum iter faciens*; & his ultimis verbis baptismum definit in ordine ad gloriam celestem, quæ est ultimus finis sacramentorum. Denique dum subdit, *sacra, &*

diuinissima nostra regenerationis traditio, baptismum definit ut principium vitæ spirituales.

6. Quæritur quinto, utrum baptismus institutus fuerit à Christo ante passionem, vel post?

Respondeo aliquos docuisse baptismum ante passionem institutum fuisse solum materialiter, post passionem institutum fuisse formaliter. Explicatur. Baptismus institutus est materialiter, cum aqua designata est ut materia baptismi; formaliter autem institutus est, cum virtute passionis Christi aquæ data est virtus sanctificatiua; sed Christus ante passionem, dum baptizatus est in Iordane, designauit aquam ut materiam baptismi, at quoniam nondum fuerat passus, non dedit aquæ virtutem sanctificatiuam, sed talem virtutem dedit post passionem; ergo.

7. Dicendum cum Magistro in 4. dist. 8. Thoma quæst. 66. art. 2. & alijs, quos referat sequitur Vasquez 3. parte, disp. 140. cap. 6. Baptismus non solum materialiter, sed etiam formaliter institutus est ante passionem, cum Christus in Iordane baptizatus est à Ioanne.

Probat: nam baptismus tunc fuit non solum materialiter, sed etiam formaliter institutus, cum aqua sanctificata fuit, hoc est accepit à Christo vim sanctificandi eos, qui per aquam abluerentur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; sed cum Christus baptizatus est, aqua accepit hanc vim sanctificandi; ergo &c. Minor probatur ex Patribus Tertullianus aduersus Iudæos cap. 8. dicit *Baptizato Christo, id est sanctificatis aquis in baptizate*. Amb. lib. 2. in Lucam capite ultimo. *Baptizatus est ergo Dominus, non mundus volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non agnouit, baptismati vim haberent*. Idem docent Augustinus serm. 38. de tempore, Hieronymus in cap. 3. Martini & alij.

8. Confirmatur: nam cum Christus baptizatus, filius erat præsens, Pater testimonium filio tribuit de cælo, & Spiritus Sanctus apparuit sub specie columbæ, ut habetur Matth. 3. & Lucæ 3. adeoque designata forma baptismi, quæ consistit in hoc, ut homo baptizetur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Per aperitionem autem cæli designata est aperitio cæli, quæ fit in baptismo, ut docent Hilarius cap. 2. in Matth. 5. & alij ergo in baptismo Christi fuit institutus baptismus, determinando materiam, & formam. Videri potest Damasc. lib. 4. de fide, cap. 10. Amb. & Hieronymus locis citatis.

9. Probabile est, ut ex aliquibus Patribus docet Maldonatus, quem sequitur Vasquez hic, quod Christus, postquam baptizatus fuit à Ioanne baptismo aquæ, baptizauerit Ioannem in Spiritu Sancto, ut ipsemet Ioannes petierat, dicens: *Ego debeo à te baptizari*. Christus verò respondens, *sine modo: sic enim dicitur nos implere omnem iustitiam*, videtur id, quod Ioan-

QVÆSTIO LXXXVI.

Vtrum materia remota baptismi sit aqua vera, & naturalis?
S. Th. quæst. 66. art. 3. 4.

Ioannes petierat, non tam negasse, quam distulisse. Non multo post, vt docet Euthymius in cap. 3. Ioannis, Christus baptizauit beatam Virginem, & Sanctum Petrum, & per Petrum alios Apostolos, qui deinde cæperunt baptizare alios, vt legitur Ioannis 3. & 4.

10. Contra hanc communem sententiam Scotus in 4. dist. 3. quæst. 4. & Gabriel eadem dist. docuerunt baptismum institutum fuisse à Christo, non quando baptizatus fuit à Ioanne, sed paulo post, circa illud tempus, quo cepit prædicare, & per discipulos suos baptizare, vt habetur Io. 3. & 4. Sed hæc opinio rejicitur ex dictis. Ex eo verò, quod Christus cum discipulis suis ante passionem baptizauerit, & Apostolis contulerit sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis, quæ baptismum Christi supponunt, confirmatur baptismum fuisse institutum ante passionem, ac contulisse gratiam virtute futuræ passionis Christi, quam figurabat.

11. Quæritur sexto, vtrum Christus præceptum suscipiendi baptismum imposuerit ante passionem, vel post passionem, & resurrectionem?

Respondeo, quod licet Christus baptismum instituerit ante passionem, tamen præceptum suscipiendi baptismum imposuit post passionem, & resurrectionem, cum Matth. 28. dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Rationem affert S. Thomas articulo citato ad 2. Nam cum Christus venisset, vt figuram iam impletas auferret, non debuit imponere nouum præceptum sumendi baptismum, qui ante passionem erat figura mortis Christi, vt futuræ. Post resurrectionem præceptum baptismi imposuit, non solum Iudeis, sed omnibus gentibus, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*. Dum igitur ante passionem Io. 3. Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, non imposuit præceptum baptismi, sed prænucciavit præceptum suo tempore imponendum, vt docet S. Thomas articulo citato ad 3. Præceptum porro baptismi post resurrectionem impositum capit obligare, cum lex euangelica fuit sufficienter promulgata, vt suppono ex tractatu de legibus. S. Leo epist. 4. decretali ad Episcopos Siciliæ dicens Christum distulisse institutionem baptismi ad tempus post resurrectionem, debet intelligi de institutione cum vniuersali præcepto suscipiendi baptismum, imposito omnibus gentibus, non autem de institutione particulari baptismi pro solis Iudeis, quibus solis Christus prædicabat, iuxta illud Matth. 10. 6. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel*. Eodem pacto possumus explicari aliqui alij Patres, licet quidam non admittant commodam explicationem, ideoque Vasquez disp. 140. cap. 2. num. 12. factetur illos in contraria fuisse sententia.

1. IN baptismo, sicut & in alijs sacramentis quæ consistunt in vsu, assignari potest duplex materia, remota nimirum, hoc est illud corpus, cuius vsu, & applicatione fit sacramentum, & proxima, hoc est ipsa applicatio talis corporis. Lutherus in colloquijs symposiacis cap. 16. docuit materiam remotam baptismi esse quodlibet corpus liquidum, quo tamquam balneo potest homo abluui, ac proinde non solum aqua vera, & naturali, sed etiam oleo, vino &c. posse hominem validè baptizari. De fide tamen est, ac definitum in florentino in instructione ad Armenos, & in Tridentino sess. 7. can. 2. aquam veram, & naturalem esse propriam, & necessariam materiam baptismi. Colligitur hæc veritas ex Scripturis, & ex perpetua traditione, & vsu Ecclesiæ, quæ ostendunt Scripturas assignantes aquam, vt materiam baptismi, intelligendas esse de aqua vera, & naturali, ac non esse detorquendas ad sensus metaphoricos. Io. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Act. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari*. Eph. 5. *Mundans eam lauacro aqua in verbo vite*. 1. ad Cor. 10. Paulus comparat baptismum mari rubro, & Petrus epist. 1. cap. 3. baptismum comparat diluuiio.

2. Aqua conuenienter fuit assignata, vt materia baptismi, vt art. 3. probat S. Thomas quatuor congruentijs. Prima est: aqua maximè inter corpora videtur esse principium generationum naturalium, vt patet ex eo, quod terra fecundetur aqua, & semina sint humida, & habeant naturam aqueam, ex quo ortum est, vt antiqui Philosophi, quos Aristoteles refert 1. Metaph. summ. 2. cap. 1. dixerint, aquam esse primum principium generationum naturalium; ergo aqua conuenienter assumpta fuit in baptismo, vt esset principium regenerationis spiritualis. Secunda congruentia est. Aqua est maximè apta ad abluendas sordes corporeas, ad mitigandum excessum caloris, & ad recipiendum lumen, cum sit diaphana; ergo conuenienter assumpta fuit in baptismo ad abluendas sordes peccatorum, ad mitigandum ardorem concupiscentiæ, & ad infundendum animæ lumen fidei. Tertia est: aqua est apta ad representanda mysteria mortis, sepulchri, & resurrectionis Christi, per quorum imitationem iuxta doctrinam Apostoli ad Rom. 6. 4. iustificamur in baptismo. Vt enim dicit Chrysostomus super illa verba Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit &c. sicut in quodam sepulchro in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde nouus rursus ostenditur*. Quarta demum est. Baptismus est sacramentum communissimum, & maxi-

mè necessarium; ergo conuenienter materia baptismi est aqua, quæ cum ubique inueniatur in magna copia, potest ubique haberi.

3. Ex eo, quod materia baptismi sit aqua naturalis, infert S. Thomas art. 4. quæst. 66. baptismum posse validè conferri per quamlibet aquam naturalem, quomodolibet alteratam per naturam, vel artem, & quomodolibet mixtam cum alijs corporibus, dummodo alteratio non dissoluat speciem aquæ naturalis, & mixtio non sit tanta, vt quod resultat, sit potius aliud corpus, quam aqua. Ex opposita ratione baptismus non potest validè conferri per vllam aquam ita alteratam, vt non retineat speciem aquæ, vel ita mixtam, vt corpus, quod resultat, sit potius aliud corpus, quam aqua.

4. Iuxta traditam doctrinam S. Thomas citato art. 4. in responsione ad 1. docet baptismum posse validè conferri aqua marina, quia per admixtionem salis non est soluta species aquæ, neque sal est in tanta copia, vt quod resultat, sit potius sal, quam aqua. In responsione ad secundum docet validè baptizari per aquam, cui sit admixtum chrisma, vt fit in baptismo solemnè. Validè etiam baptizatur iure, hoc est aqua, in qua elixatæ sunt carnes, nisi ius per admixtionem carni sit ita densum, vt sit potius caro, quam aqua, ideoque non validè baptizatur luto. In responsione ad tertium docet baptismum potuisse validè conferri aqua, quæ Ioannis 19. 34. dicitur prodisse ex latere Christi, quia illa non fuit humor phlegmaticus, sed fuit vera aqua elementaris miraculosè expressa ex corpore Christi, ad ostendendum contra Manichæos corpus Christi fuisse verum corpus compositum ex quatuor elementis. In responsione ad 4. docet validè baptizari lixiuio, hoc est aqua colata per cineres, aquis balnearum colatis per sulphur, & alia mineralia. In responsione ad 5. docet non validè baptizari aqua rosacea, neque vllò liquore, qui sit succus florum, herbarum, vel alterius corporeis mixti. Ratio est, quia tales succi non retinent speciem aquæ. Sicut enim sanguis, qui est succus animalis, non retinet speciem aquæ, sic vinum, quod est veluti sanguis vixæ, oleum, quod est veluti sanguis oliuæ, aqua rosacea, quæ est veluti sanguis rosæ, & succi extracti ex varijs plantis, herbis, animalibus, & alijs mixtis, non retinent speciem aquæ naturalis. Ex opposita ratione potest validè baptizari aqua pluuiali genita ex resolutione vaporum, quia retinet speciem aquæ naturalis, ideoque nullam retinet proprietatem mixti, quod de aquis rosaceis, & alchimicis dici non potest.

QVÆSTIO LXXXVII.

De forma Baptismi.

S. Thom. qu. 66. art. 5. & 6.

1. Certum est formam baptismi, quæ est in ecclesia latina, quæ forma est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* esse sufficientem. Conclusio est de fide definita in Concilio Florentino in institutione ad Armenos, & colligitur ex Tridentino sess. 3. can. 3. in quo anathema dicitur ei, qui dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium est mater, & magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: sed si hæc forma, quæ vitur tota Ecclesia latina ex magisterio Ecclesiæ Romanæ, non esset sufficientis in Ecclesia Romana esset intolerabilis error circa doctrinam, & vsum baptismi, & aliorum sacramentorum: siquidem nullum sacramentum validè conferretur homini non validè baptizato: ergo &c.

2. Probatum autem sufficientia talis formæ ex verbis Christi Matthæi ultimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ex quibus verbis Ecclesia ab antiquissimis temporibus accepit dictam formam. Rationem conuenientiæ affert S. Thomas art. 5. ex eo, quia cum baptismus sanctificet per formam, conueniens est, vt per formam explicetur causa sanctificans baptismum: hæc causa instrumentalis sanctificans baptismum est minister conferens baptismum in nomine Trinitatis; causa principalis est Trinitas, ergo conueniens est, vt forma baptismi exprimat eam actionem ministri, quæ exprimitur per illa verba, *Ego te baptizo*, tum Trinitatem, quæ exprimitur per verba sequentia. Contra hæc conclusionem dicunt errasse aliqui Græcorum, qui ita putarunt esse necessariam formam, quæ vtuntur Græci, dicentes: *Baptizatur seruus Christi*, vt damnarent formam, quæ vtuntur latini, ideoque rebaptizarent baptizatos à latinis.

3. Certum est rursus ex eodem Concilio Florentino in Decreto Eugenij, etiam esse sufficientem formam, quæ vtuntur Græci, quæ forma est, *Baptizatur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Probatum. Nam Ecclesia Græca ab antiquissimis temporibus, ac multò antè, quam separaretur a latina, vsa est tali forma; ergo si talis forma esset insufficientis, ab antiquissimis temporibus quando Ecclesia Græca maximè floruit, hæc aitate, & doctrina, non fuisset in illa verus baptismus, adeoque nullum fuisset verum sacramentum, nulli Sacerdotes, vel Episcopi. Confirmatur: nam Græci, quando redeunt ad vnitatem Ecclesiæ, nec rebaptizantur, nec si sunt Episcopi, vel Sacerdotes, iterum ordinantur, sed in suo ordine, & gradu re-

piuntur; ergo sensus Ecclesiæ est, quod valide sint formæ, quibus utuntur in conferendo baptismo, ac cæteris sacramentis. Contrà hanc conclusionem errarunt aliqui latinorum, qui præsertim antè Concilium Florentinum dubitarunt de baptismo Græcorum, ideoque asseruerunt illos esse sub conditione rebaptizandos.

4. De fide etiam est, quod ad valorem baptismi per formam debet exprimi actus baptizandi. Probatur ex Concilio Florentino, in quo Eugenius in decreto fidei dicit, *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum.* Clarius id definiuit Alexander 3. cap. 1. de baptismo, & eius effectu, dicens: *Si quis puerum in aqua immerferit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen, & non dixerit, Ego te baptizo, non est puer baptizatus; sed per hæc verba non definiuit baptismum esse inualidum ex eo, quod non sit expressa persona baptizantis per verbum Ego; siquidem hæc non exprimitur apud Græcos; ergo definiuit baptismum esse inualidum ex eo, quod non fuerit expressus actus baptizandi. Colligitur hæc veritas ex verbis Christi Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quæ verba ita Ecclesiæ, tum Græca, tum latina ab initio intellexit, vt putauerit in forma baptismi exprimendas esse personas Trinitatis, cum actu baptizandi.*

5. Si loco verbi, quo communiter vtitur Ecclesiæ in formis sacramentorum, substituat aliud verbum omnino æquiualeus, sacramentum validè confertur, licet grauiter peccet, qui non vtitur vocibus consuetis in formis sacramentorum. Ratio est, quia Christus non præscripsit hæc numero verba, sed sensum. Hinc sequitur, quod baptismus est validus, si loco verbi *baptizo*, substituat verbum æquiualeus, quæ sunt *abluo*, *tingo* &c. Rursus ad valorem baptismi non requiritur, vt actus baptizandi exprimat per modum indicatiuum. Patet. Nam Eugenius 4. in Concilio Florentino in decreto pro Armenis approbat etiam formam, qua Græci baptizant per modum imperatiuum, dicendo: *baptizetur seruus Christi &c.*

6. His præmissis, quæ certa sunt apud omnes, quæritur primo, vtum ad valorem baptismi requiratur, vt actus baptizandi exprimat tamquam actio ministri?

Respondeo, quod requiritur, vt exprimat tamquam actio ministri signatè, vel exercitè, non tamen requiritur, vt exprimat signatè. Quod actus baptizandi debeat exprimi, vt actio ministri, probatur. Nam formam baptismi colligimus ex verbis Christi, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij &c.* sed ex eadem ratione, qua ex his verbis inferitur in baptismo exprimendum esse actum baptizandi, inferitur exprimendum esse, vt actionem ministri; ergo &c. Probatur minor: nam ex illo

verbo *baptizantes* inferimus per formam exprimendum esse actum baptizandi; sed illud verbum *baptizantes* significat actum baptizandi vt actionem ministri; ergo &c. Probatur secunda pars. Nam licet latini expriment actum baptizandi vt actionem ministri signatè, dicentes, *Ego te baptizo*, Græci expriment actum baptizandi, vt actionem ministri solum exercitè, siquidem baptizando dicunt *baptizatur, vel baptizetur seruus Christi &c.* ergo &c. Docet autem expresse Græcos exprimere actum baptizandi, vt actionem ministri solum exercitè S. Thomas quæst. 66. ad 1. dicens: *Græci non attribuunt actum baptismi ministris ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes: ego sum Pauli, & ego Cepha, & ideo dicunt, baptizetur seruus Christi talis in nomine Patris &c. Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum inuocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum.*

7. Quæritur secundo, vtum per formam baptismi debeat exprimi persona ministri?

Respondeo, quod persona ministri non est necessario exprimenda in actu signato, sed sufficit illam exprimere in actu exercito, in quantum exercitè exprimitur actio, vt procedens à ministro. Probatur. Nam in forma græcorum persona baptizantis exprimitur solum exercitè, vt explicatum est. Hinc colligitur, quod baptismus validè conferretur sub hac forma, *Baptizo te in nomine Patris &c.* omisso pronomine *Ego*. Probatur, tum quia *baptizo* idem significat, ac *ego baptizo*, tum quia persona baptizantis non necessario exprimi debet signatè. Peccaret tamen, qui omitteret pronomen *Ego*, quia non seruaret ritum consuetum in ecclesiâ, qui ritus cadit sub præceptum. Rursus inferitur contrà Innocentium, & quosdam Iuristas, quod latinus vtens forma græcorum, in qua solum exercitè exprimitur persona ministri, baptizaret validè. Ratio est, quia validitas formæ non pendet à præcepto, vel vsu Ecclesiæ, sed ex institutione Christi; ergo forma, quæ in aliqua parte ecclesiæ est valida, in tota ecclesiâ est valida.

8. Quæritur tertio, vtum ad valorem baptismi requiratur, vt per formam exprimat persona baptizati?

Respondeo affirmatiuè, vt docent communiter Theologi. Probatur ex vsu Ecclesiæ vniuersalis. Nam tum græci, tum latini ab initio Ecclesiæ existimarunt semper in baptismo necessario esse exprimendam personam baptizati, ideoque Latini expriment illam, dicendo, *Ego te baptizo*, Græci eandem expriment, dicendo, *Baptizatur seruus Christi*. Confirmatur ex verbis Christi, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ergo ad valorem baptismi requiritur, vt minister baptizans, per formam exprimat, quod baptizat eos in nomine Patris &c. adeoque debet exprimere actionem baptizandi, personam baptiz-

baptizati, & inuocationem Trinitatis.

9. Ex his sequitur primo, quod baptismus collatus sub hac forma, *ego baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non est validus, quia non exprimitur persona baptizati. Sequitur secundo, quod ad valorem baptismi sufficit, vt persona baptizati exprimat, vel nomine proprio, vel pronomine demonstratiuo secundæ, & tertiæ personæ, non autem pronomine demonstratiuo primæ personæ, dicendo ex. gr. *baptizo me*. Baptismus igitur validè confertur, dicendo, *Baptizo te, baptizo Ioannem, baptizo hunc, illum, baptizatur seruus Christi*, dummodò denotetur persona distincta, quia omnibus istis modis sufficienter denotatur persona, quæ baptizatur. E conuerso non potest baptismus validè conferri sub hac forma, *baptizo me*, quia nemo potest baptizare se ipsum, vt colligitur ex verbis Christi, *baptizantes eos*. Ratio est, quia cum baptismus sit institutus per modum regenerationis spiritualis, congruum fuit, vt sicut inter genitorem, & genitum debet dari distinctio, sic inter baptizantem, & baptizatum deberet dari distinctio.

10. Queritur quarto, vtrum ad valorem baptismi requiratur, vt per formam exprimantur tres personæ Trinitatis?

Respondeo, quod aliqui docuerunt ad baptismum sufficere, vt exprimat vnicam personam Trinitatis, siquidem ea expressa, implicite intelliguntur reliquæ, adeoque esse validum baptismum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*. Hanc sententiam præter Ambrosium libro de Spiritu Sancto, capite 3. Bedam in caput 10. astorum, Hugonem, & quosdam alios Patres, videtur sequutus Nicolaus Papa capite *A quodam Iudæo* de consecratione, distinctione 4. vbi sic habet. *A quodam Iudæo, nescitis virum Christiano, an pagano, multos in parua vestra baptizatos asseritis, & quid de eis sit agendum, consultis. Hi profecto, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, (vnum quippè, idemque est, vt S. Ambrosius exponit) constat eos non esse denuò baptizandos*. Bernardus quoque epistola 340. concedit puerum baptizatum in nomine Dei, & veræ crucis, non esse iterum baptizandum. Eandem opinionem ex scholasticis sequuti sunt Magister in 4. dist. 3. cap. ex his. Adrianus in 4. dist. 2. de baptismo, Caietanus, & alij.

11. Dicendum nihilominus cum S. Thoma, quæst. 60. art. 6. S. Bonaventura in 4. dist. 3. art. 32. quæst. 3. ad 3. Alensi, Durando, aliisque communiter, quod ex vi diuinæ institutionis sine speciali dispensatione non potest, nec vnquam potuit baptismus validè conferri in nomine Dei, vel Christi, vel vnus tantum Personæ diuinæ, sed semper necessaria fuit expressio trium personarum. Probat primo conclusio ex concilio lateranensi sub Innocentio 3. relato capite *firmiter*, de summa Trinitate, & fide catholica, vbi do-

et baptismum consecrari inuocatione diuinæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, quod idem docuerat antè Alexander 3. capite de baptismo, & eius effectu, ac de iure ex Eugenio 4. in concilio Florentino in decreto pro Armenis, post vltimam sessionem, in quo dicitur baptismum perfici, dum exprimitur actus baptizandi, & inuocatur Trinitas, itaque apud græcos, & apud latinos. Confirmatur ex pluribus patribus, quos congerit Vasquez hic disp. 112. cap. 3. num. 13. & sequentibus.

12. Probat secundò autoritate duorum Pontificum, Pelagij, & Zachariæ. Pelagius in epistola ad Gaudentium, quæ refertur a Gratiano cap. *multi* de consecratione, dist. 4. cap. 87. dicit. *Multi sunt, qui in nomine solius Christi, vna etiam mensione se asserunt baptizatos. Euangelicum verò præceptum, ipso Deo, & Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mensione sanctum baptismum unicuique tribuere, dicente Domino: ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & cap. re vera, De consec. dist. 4. cap. 30. dicit: si re vera, hi de hæreticis, qui in locis dilectioni vicinis commorari dicuntur, solimmo se in nomine Domini baptizatos fuisse forisrã consententur, sine cuiusque dubitationis ambiguo ad catholicam fidem venientes in sanctissime Trinitatis nomine baptizatis. Aliqui respondent per vltima verba præcipi, vt rebaptizentur, qui fuerunt baptizati in nomine domini, non in nomine Christi. Sed contrà est, nam cum Pontifex proposuisset casum de ijs, qui dicebant se baptizatos fuisse in nomine Christi, cum deinde statuit, vt qui dicebant se baptizatos fuisse in nomine domini, rebaptizentur, procul dubio loquitur de ijs ipsis, qui dicebant, se baptizatos fuisse in nomine Christi domini nostri, Zacharias in epistola ad Bonifacium episcopum, quæ refertur in capite in Synodo de consecratione, dist. 4. cap. 84. confirmans decretum Synodi anglicanæ, in quo statutum erat baptismum collatum sine inuocatione Trinitatis esse inualidum, dicit. *Omnino verum est, qui in fonte baptismatis quis fuit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizatus, & addit, vt qui vel vnã de Trinitatis personam in baptismo non nominaret, illud baptismum esse non potest, quod pro certo verum est.**

13. Canus negat hanc veritatem fuisse à Pelagio, & Zacharia definitam. Fundamentum est, quia Pontifex tunc solum aliquam veritatem definit, cum profert sententiam pro tota Ecclesia, non autem cum respondet quæstionibus propositis ab episcopis particularibus; sed Pelagius, & Zacharias responderunt solum quæstioni propositæ ab Episcopis particularibus; ergo &c. Vasquez è conuictus existimari hanc opinionem Cani esse dignam censura temeritatis, vel etiam erroris. Ratio est, tum quia quod Pontifices docent circa quæstiones fidei, & morû, semper proponunt Eccle-

Ecclesiæ vniuersæ, cum doctrina fidei, & morum sit vna in vniuersa Ecclesiâ; tum quia Zacharias in eo responso confirmat decretum synodi anglicanæ circa doctrinam spectantem ad fidem, & mores; sed Pontifices confirmantes decreta conciliorum etiam provincialium circa fidem, & mores errare nequeunt, ideoque qui negaret tales definitiones conciliorum provincialium confirmatas à Pontificibus censeretur errare in fide; ergo sine vlla probabilitate docuit Canus Zachariâ in illa epistola nihil definitiuisse.

14. Ad auctoritates in contrarium adductas num. 10. fatendum est scholasticos, & patres allegatos in hoc puncto errasse. Ad auctoritatem Nicolai relata cap. à Iudeo variè afferuntur responsiones, quæ videri possunt apud Suarium hic disp. 21. sect. 3. & Vasquez disp. 112. cap. 4. Duæ videntur probabiliores. Prima, quam vt vnicam sequitur Vasquez, & vt præcipuam sequitur Suarius loco citato, dicit Nicolauum, quoad hoc punctum locutum fuisse, vt priuatum doctorem, atque errasse. Pontifices nimirum in suis epistolis ea solum docent definitiue, per quæ præcisè responderetur quæstionibus propositis, in iisque, si spectent ad fidem, & mores, non possunt errare, quia solucentes dubia proposita funguntur munere Petro, & successoribus imposito confirmandi fratres suos, in quo munere promissa est Petro, & successoribus indefectibilitas à Christo dicente Lucæ 22. 23. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; quæ verò Pontifices addunt ex occasione respondendi quæstionibus propositis, ea docent, vt priuati doctores, adeoque in ijs possunt errare; sed Pontifex fuerat solum interrogatus, vtrum baptizati à quodam Iudæo essent rebaptizandi, supponendū, quod alioquin adhibita fuisset debita materia, & debita forma; ergo responsio Pontificis est solum definitiua, in quantum docet baptizatos à Iudæo, supponendo, quod alioquin fuissent ritè baptizati, non esse rebaptizandos; in quantum verò digreditur ad agendum de forma baptismatis, & sequens S. Ambrosium asserit baptismum posse validè conferri in nomine Christi tantum, loquutus est vt priuatus doctor, & errauit, cum contrarium definitiuisser duo eius prædecessores, Pelagius, & Zacharias, quorum definitiones Nicolao non venterunt in mentem. Secunda responsio, quam vt piam, & probabilem admittit Suarius, docet, quod illa verba Nicolai, *si in nomine Trinitatis, vel tantum in Christi nomine baptizati sunt, constat eos non esse denuò baptizandos*, exponuntur ita, vt per ly in nomine Christi tantum non excludatur expressio aliarum personarum, Patris nimirum, & Spiritus Sancti, sed solum excludatur expressio nominis Filij, adeoque sensus sit, si baptizati fuerint in nomine trium personarum, Patris nimirum, Filij, & Spiritus Sancti, vel baptizati fuerint in nomine Christi tantum, non expro-

mendo nomen Filij, dicendo nimirum: ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti, baptismus est validus, siquidem vt S. Ambrosius exponit, idem est dicere: ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti, ac dicere: ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum Christus sit ipse Filius.

15. Probabile est, quod Apostoli aliquando ex speciali reuelatione, & instinctu baptizauerint in nomine Christi sine expressione aliarum Personarum, vt docent S. Thomas, salique auctores, licet Armacanus lib. 3. de quæst. Armen. cap. 3. Canus lib. 6. de locis theologicis quos sequuntur Suarius, & Vasquez contrariū opinentur. Probatum ex pluribus locis Actorū. Capite secundo legitur dixisse S. Petrus: *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum*. Capite octauo dicitur: *sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu Christi*. Capite 19. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu*; sed videtur inuentsimile, quod si baptizati fuissent, expresso nomine trium omnium Personarum, facer scriptor toties mentionem fecisset solius Christi: ergo &c. Confirmatur: nam si S. Lucas voluit solum significare baptismum fuisse collatum forma consueta, vel debuit simpliciter dicere, quod baptizati fuerant, vel debuit explicare totam formam consuetam; ergo dicendo, quod baptizati fuerant in nomine Christi, indicat, quod fuerant baptizati in nomine Christi tantum. Licet autem Cyprianus, Fulgentius, & quidam alij Patres, quos citat Suarez hic, disp. 21. sect. 3. ita interpretentur allata loca Actorum, in quibus dicitur, Apostolos baptizasse in nomine Christi, vt sensus sit, eos baptizasse, non in nomine Christi tantum, sed in nomine Christi, expresso simul cum alijs Personis, ac dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, & Spiritus Sancti*; tamen præterquam quod Vasquez disp. 145. cap. 2. nu. 2. & sequentibus examinans testimonia Patrum ostendit pleraque nil fauere huic interpretationi, non desunt alij Patres, & Scholastici, qui ita ea loca interpretantur, vt sensus sit Apostolos baptizasse, inuocando nomen solius Christi; ergo cum hæc interpretatio sit planior, & conformior verbis, est præferenda.

16. Non obstat, quod in Canonibus Apostolorum, can. 48. seu 49. præcipitur, vt baptismus conferatur in nomine trium Personarum, & additur, vt deponatur presbyter, vel Episcopus, qui baptizasset in morte Christi; quod Actorum 19. Paulus cum interrogasset quosdam discipulos, *num Spiritum Sanctum accepistis*, illi autem respondissent, *neque si Spiritus Sanctus sit, scimus*, dixit, *in quo ergo baptizatis estis?* quod Clemens, Dionysius, Iulianus, & alij antiquissimi Patrum, qui fuerunt tempore Apostolorum, vel paulò post, nullam faciunt mentionem baptismi, collati in nomine solius Christi. Dicendū enim, quod hæc ad summum probant tempore Apostolorum non fuisse priu-

privilegium commune baptizandi in nomine solius Christi: at non probant, quod ipsi Apostoli, sicut ex speciali impulsu Spiritus Sancti faciebant alia extraordinaria, sic aliquando ex speciali impulsu non contulerint baptismum in nomine solius Christi, ad honorandum illud nomen, & ad ostendendum, quod in Christo dabatur virtus totius Trinitatis, testificante Deo validitatem talis baptismi sensibili descensu Spiritus Sancti super eos, qui tali modo baptizabantur. Quia ergo baptismus sine speciali impulsu Spiritus Sancti non poterat conferri in nomine solius Christi, Apostoli in suis Canonibus præceperunt, ut nemo baptizaret sine expressione trium Personarum, & hoc ipsum docuerunt Dionysius, & alij Patrum antiquissimi, ac S. Paulus interrogavit eos, qui nesciebant Spiritum Sanctum, in quo essent baptizati. Per hæc tamen non fit, ut ex speciali impulsu baptismus non fuerit aliquando collatus in nomine solius Christi.

17. Quæritur quinto, utrum ad valorem baptismi requiratur, ut tres personæ diuinæ exprimantur consuetis nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

Respondeo, quod Glossa in caput Multi de consecratione dist. 4. cap. 87. Caietanus in art. 5. quæst. 66. 3. partis, ac Victoria in summa §. 14. de baptismo, docent baptismum validè conferri sub forma, in qua personæ diuinæ non solum consuetis nominibus, sed quibuscumque alijs exprimantur, adeoque validè conferri sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque*. Dicendum nihilominus cum S. Thoma hic, quæst. 66. art. 5. ad 7. Alexandro de Ales, S. Bonaventura, Scoto, & alijs communiter, quod ad valorem baptismi requiritur, ut conferatur, exprimendo tres Personæ sub consuetis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel sub ijs, quæ in qualibet lingua tribus istis nominibus respondent. Probat ex Matth. ultimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quod Ecclesia ita intellexit, ut censuerit in baptismo non solum inuocandam Trinitatem, sed etiam inuocandam sub his tribus nominibus, vel correspondentibus in qualibet lingua. Si verò quæritur ratio, propter quam Christus voluit, ut Trinitas inuocaretur sub his tribus nominibus, dicendum ex S. Thoma art. 5. quæst. 66. ad 7. rationem esse, quia sicut Christus voluit, ut baptismus non solum esset ablutio, sed etiam ablutio per materiam communissimam, quæ est aqua, ita voluit ut in baptismo non solum inuocarentur tres Personæ diuinæ, sed etiam inuocarentur nominibus communissimis, sub quibus confessio fidei de Trinitate debet esse communis omnibus fidelibus; sed talia sunt nomina Patris, Filij, & Spiritus Sancti, ac nomina his tribus correspondentia in qualibet lingua; ergo &c. Confirmatur ex Epiphonio, & Athanaio, Epiphanius enim heresi 73. cir-

cà principium dicit. *Non dixit baptizantes eos in nomine Geniti, & Ingeniti, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: Athanasius oratione secunda contra Arianos circa medium: *Non iussit nos baptizare in nomine Geniti, & Ingeniti, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, sed alia nomina non æquivalent nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti in hoc, quod sint nomina communia, sub quibus omnes fideles etiam rudes tenentur credere, & profiteri tres Personas diuinæ, & hoc prædicatum requiritur ex diuina institutione ad formam baptismi; ergo alia nomina non æquivalent in aliquo prædicato requisito ad formam baptismi.

18. Ex tradita doctrina inferitur primo, quod si quis conferat baptismum, exprimendo personas Trinitatis tribus consuetis nominibus, licet illa nomina ex ignorantia linguae malè proferat, adhuc baptismus est validus. Patet ex Zacharia Papa, Epistola quarta, quæ habetur tertio tomo Conciliorum, ibique ponitur tertia, & refertur capite *Retulerunt* de consecr. dist. 4. cap. 86. in qua dicitur, quod licet validum fuisse baptismum collatum in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filia, & Spiritus Sancta*. Inferitur secundo, quod inualidum esse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Spiritus Christi, & Spiritus Sancti*, quia non exprimitur secunda persona nomine Filij. Ex eadem ratione baptismus est inualidus, si loco nominis Filij, ponatur nomen Verbi. E converso validus est baptismus collatus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius, & Spiritus Sancti*, quia iam exprimitur nomen consuetum. Inferitur tertio, quod inualidum esse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis, in nomine Dei vnus, & Trini, in nomine Diuinarum Personarum*; siquidem non exprimiuntur consuetis nominibus, ac distinctè tres Personæ diuinæ.

19. Quæritur sexto, utrum ad valorem baptismi requiratur, ut non solum exprimantur tres Personæ diuinæ, sed etiam vnitas essentia per illas voces in nomine &c.

Respondeo affirmatiuè. Probat hoc communissima sententia ex verbis Christi *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: quæ verba Ecclesia, & Patres intellexerunt, ut senserint baptismum conferendum, ita ut per formam significetur vnitas personarum, tum vnitas essentia, quæ vnitas significatur per illam particulam *in nomine*. Confirmatur: nam forma baptismi continere debet expressam professionem fidei de mysterio Trinitatis; sed mysterium Trinitatis dicit duo, vnitatem essentia, & Trinitatem personarum; ergo sicut baptismus est inualidus, si non exprimat Trinitatem personarum, sic est inualidus, si non exprimat vnitatem essentia. Quod autem illa particula *in nomine* significet vnitatem essentia, docent communiter Sancti Patres, quos citat

Suaris disp. 21. sect. 3. & Vasquez disp. 143.

20. Hinc inferitur primò inualidum esse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, quia non exprimitur vnitas essentia. Inferitur secundo inualidum esse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in nominibus Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*, siquidem ly in nominibus non solum non exprimit vnitatem essentia, sed potius essentiam diuidit cum Arrio. Putant è conuerso Sotus, Suarius, & Vasquez validum esse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filij, et in nomine Spiritus Sancti*, quia non multiplicantur nomina, sed repetitur idem nomen. Inferitur tertio à Vasquez validum esse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in vnum Deum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, vel in vno Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto*, quia per illam exprimitur vnitas essentia, & Trinitas, & præterea modus ille dicendi *in vnum Deum Patrem &c.* potest etiam significare Deum Patrem, vt autorem, & vt causam principalem baptismi.

QVÆSTIO LXXXVIII.

De materia proxima baptismi, quæ est ablutio.

S. Thom. quæst. 66. art. 7. 8.

1. Sicut materia remota baptismi est aqua, vt dictum est qu. 86. sic materia proxima est ablutio per aquam. Materia enim proxima est, cui addendo verba, quæ sunt forma, conficitur sacramentum; sed addendo verba *Ego te baptizo &c.* ablutioni per aquam, conficitur sacramentum baptismi; ergo &c. Hinc sequitur, quod aqua ad baptizandum debet esse in tali statu, vt sit apta ad abluendum: & quia aqua perfectè conglaciata, licet sit substantialiter aqua, propter accidens conglaciationis non est apta ad abluendum; ideo non potest quæ validè baptizari aqua perfectè conglaciata.

2. Ablutio necessaria ad baptismum est applicatio, per quam corpus baptizati tangitur ab aqua cum quodam motu, quæ applicatio causatur à baptizante. Hinc soluitur quæstio, in qua quæritur, vtum ablutio necessaria ad baptismum sit passio baptizati, vel actio baptizantis? Dicendum, quod ablutio debet esse passio, non quidem intrinseca, sed extrinseca baptizati, procedens à baptizante, ideoque includens, vel saltem connotans etiam actionem baptizantis. Probatur: nam ablutio baptismalis est applicatio, per quam corpus baptizati tangitur ab aqua; sed hoc, quod est *tangi ab aqua* est passio, non quidem intrinseca baptizati, cum non consistat formaliter in aliqua mutatione intrinseca baptizati, sed solum in adiacentia aquæ extrinseca; ergo ablutio est passio, non quidem in-

trinseca, sed merè extrinseca baptizati; sed hæc passio debet procedere à baptizante, vt exprimitur per verba formæ *Ego te baptizo*; ergo ablutio necessaria ad baptismum includit, vel saltem connotat etiam actionem baptizantis.

3. His positis, quæritur primo, vtum baptismus validè conferatur, tum per immersionem, tum per infusionem, tum per asperisionem.

Respondeo affirmatiuè, vt docet S. Thomas 3. parte quæst. 66. art. 7. quem sequuntur communiter Theologi. Ratio est, quia ad baptismum sufficit, vt sit ablutio, per quam baptizatus abluatur à baptizante; sed baptizans abluit baptizatum, tum immergendo ipsum in aquam, tum effundendo, vel aspergendo aquam supra ipsum; ergo &c. Confirmatur primo, nam Deus prænucciavit baptismum per effusionem, Ezechielis 36. dicens: *Effundam super vos aquam mundam*, & S. Laurentius legitur baptizasse per effusionem. Confirmatur secundo; nam in actis Apostolorum cap. 2. & 4. legitur, quod vna die crediderunt, & baptizati sunt tria hominum millia, alia die quinque millia; sed incredibile est, quod tanta multitudo vna die baptizari potuerit per immersionem; ergo &c.

4. Addit S. Thomas, quod licet tutius sit baptizare per immersionem, quia ita fert communior vsus, tamen præsertim in casu necessitatis licet baptizare per effusionem, vel asperisionem. Verum circa hanc doctrinam aduertit Vasquez disput. 145. cap. 2. num. 15. quod licet antiqua fuerit consuetudo Ecclesie, tum Orientalis, tum Occidentalis, quæ durabat etiam tempore S. Gregorij, vt omnes tum adulti, tum paruuli benè valentes baptizarentur per immersionem; & licet etiam tempore S. Thomæ, vt ipse testatur, frequenter fuerit vsus baptismi per immersionem, tamen temporibus consequentibus in Occidente inualuit vsus, vt penè omnes, tum adulti, tum paruuli baptizentur per effusionem, qui vsus videretur fuisse introductus propter teneritudinem infantium, qui facilius ferunt effusionem, quam immersionem, cum nostris temporibus rarissimus sit baptismus adultorum.

5. Baptisnus est vnus substantialiter consistens in ablutione per aquam, licet possit accidentaliter variari secundum varios modos abluendi, qui non spectant ad substantiam baptismi, ideoque Apostolus de vnitate substantiali baptismi ad Ephesios 4. dixit: *Vna fides, & vnum baptisma*. Licet autem sepultura Christi expressius representaretur in baptismo per immersionem, quam in alijs, tamen sufficienter exprimitur etiam per alios modos baptizandi. Quocumque enim modo homo abluatur, totum corpus, vel aliqua pars corporis supponitur aquæ, sicut corpus Christi posuit sub terra, ideoque saluatur illud Apostoli ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus*

Ad

mus

Tom. III.

mus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.

6. Queritur secundo, vtrum baptismus validè, & licitè conferri possit, tum vnica, tum trina mersione, effusione, vel aspersione, vt docet S. Thomas quæst. 66. art. 3. quem sequuntur omnes. Ratio est, quia vnica mersione significatur vnitas mortis Christi, & vnitas deitatis; trina mersione significatur triduum sepulturæ, & Trinitas Personarum. Hæc veritas multò ante definita fuerat à S. Gregorio lib. 1. epist. 41. ad S. Leandrum, in qua cum de hac ipsa quæstione fuisset interrogatus, respondet. *Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo vel ter, vel semel immergere, quoniam & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.* Habentur hæc verba cap. de trina mersione, de consec. dist. 4. cap. 89.

7. Ecclesia propter diuersos errores hæreticorum, aliquando statuit, vt baptismus celebraretur trina, aliquando vt celebraretur vnica mersione. Quia enim ab initio Ecclesiæ quidam malè de Trinitate sentientes non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in passione Christi, & vnica mersione, statutum fuit vt baptismus celebraretur trina mersione. Vnde in canonibus Apostolorum canone 49. vel 50. legitur; *Si quis Presbyter, vel Episcopus non trinam immersionem vnius mysterij celebrat, sed semel mergat in baptismo, quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur. Non enim nobis dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Posterioribus temporibus, quia inualuerat error, & schisma Donatistarum, & aliorum rebaptizantium, Concilium Tolosanum quartum capite 5. statuit, vt baptismus celebraretur vnica tantùm mersione, dicens; *Propter vitandam schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplicem teneamus baptismi immersionem.* Habetur de consec. dist. 4. cap. 85. propter scandalum. Addit S. Thomas, quod cessante tali scandalo, communiter obseruatur in baptismo trina immersio, & ideo grauitè peccaret baptizans per vnica immersionem, quia non obseruaret ritum Ecclesiæ, licet baptismus esset validus. Sed hoc pendet ab vsu.

8. Queritur tertio, vtrum ad valorem baptismi per immersionem sufficiat immersio, vel requiratur etiam emersio ex aqua?

Respondeo probabilius esse, quod ad valorem baptismi sufficiat immersio, non sit necessaria emersio. Si quis igitur proiiceret aliquem in fluuium, aut puteum ex intentione baptizandi, valide baptizaret, vt docet Gabriel in 4. dist. 4. art. 3. dub. 4. Panorm. in cap. *Vt non apponeres de baptismo, & eius effectu*, quos sequuntur Suarius, & Vasquez hic contra Scotum, Paludanum, Sotum, Syluestrum, & alios contrarium opinantes. Ratio

est, quia ad materiam proximam baptismi sufficit, vt sit vera ablutio; sed per immersionem etiam sine immersione fit vera ablutio, ergo &c. Confirmatur; nam Sotus contrarium sententiæ assertor fatetur, quod si quis demergat infantem in fluuium animo baptizandi, & casu infans ex manibus illi elabatur, non emergat, nihilominus baptismus fore validus; sed si de celsètia baptismi esset emersio, baptismus ille non esset validus; ergo &c. Baptismus ergo debet quidem essentialiter representare non solum sepulturam, sed etiam resurrectionem Christi, sed debet representare formaliter solam mortem, & sepulturam Christi, sufficit autem vt resurrectio representet de consequenti, quæ vnus mors, & sepultura, per quam in baptismo morimur peccato, & consepelimur Christo, ordinatur ad hoc, vt in nouitate ambulemus, ideoque Apostolus ad Romanos 6. dicit. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, vt quomodo Christus surrexit mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quia per solam immersionem sine emersione mors, & sepultura representantur formaliter, resurrectio representatur de consequenti, ideo baptismus validè confertur per solam immersionem sine emersione. Præterea ablutio, quæ est materia proxima baptismi debet esse vera ablutio per aquam, ordinata ad vitam spiritualem baptizati: at dummodo hoc habeat, non obstat, quod ordinetur ad mortem temporalem baptizati. Confirmatur nam si quis baptizaret infantem aqua sepe, & occideret, baptismus esset validus; ergo etiam in casu nostro. Rursus sicut qui effundit aquam, licet non tangat baptizatum, tamen baptizatum abluat, quia effundit aquam abluentem, si qui proiiceret aliquem in flumen, baptizaret, quia immergeret illum in aquam, à qua ablueretur. Demum aqua potest abluere locum etiam antequam corpus emergat ex aqua, ergo neque ex hoc capite necessaria est emersio.

9. Quamuis ad valorem baptismi non sit necessaria emersio, tamen certum est aqua omnes, quod non licet Cathecumenum in flumen, aut puteum proiicere, vt baptizetur, etiam si aliter baptizari non possit, & in periculo mortis, adeoque salutis æternæ constitutus. Ratio est, quia non licet hominem occidere, vt baptizetur. Neque etiam facienda sunt mala, vt eueniant bona. Certum etiam est, quod etiam si baptizandus sit in periculo vitæ, tamen non est differendus baptismus ex timore mortem accelerandi, quia cum baptismus conferri possit per aspersione, potest ita conferri, vt nullum sit periculum saltem morale accelerandi mortem.

10. Queritur quarto, vtrum ad valorem baptismi requiratur, vt abluatur totum corpus, vel sufficiat, vt abluatur aliqua pars corporis.

Respondeo, quod si non possit ablu-
tum corpus, saltem debet ablu-
tum caput, ut docet S. Thomas in hac quæst. art. 7. ad 3. Ratio
est, quia per baptismum homo mundatur à
peccato, quod est in anima, ergo baptismus
debet applicari præsertim illi parti corporis,
in qua vigent operationes animæ; sed opera-
tiones animæ præsertim vigent in capite, in
quo sunt organa sensuum, tum exteriorum,
tum interiorum; ergo &c. Notat tamen
Sotus in 4. dist. 43. quæst. unica art. 7. S. Tho-
mam non ita intelligendum, ut doceat tan-
tam esse necessitatem abluendi caput, ut nisi
caput abluatur, baptismus non sit validus, sed
solum ut doceat esse peccatum caput non
abluere, cum commodè potest ablu-
i. Porro ad valorem baptismi non sufficit, ut homo
abluatur in vestibus, sufficit tamen, ut abluatur
in capillis. Ratio est, quia vestes non
sunt partes hominis, capilli verò, seu sint
animati, seu non, sunt partes hominis.
Ex proportionali ratione, ut Sylvester
docet, cum infans nascitur inclusus pelle, quæ
vocatur secundina, potest valide baptizari
sub illa pelle, quia censetur pars infantis, li-
cet si esset inclusus corio, non posset sub illo
valide baptizari, quia corium non censetur
pars infantis.

11. Plures auctores, quos sequitur Sua-
rius hic, existimant ad baptismum non suffi-
cere, ut quis abluatur in quacumque minima
parte sensibili corporis, & per quancumque
minimam quantitatem aquæ. Dicendum
nihilominus cum P. Valquez hic disput. 145.
cap. 4. baptismum esse validum in quacum-
que minima sensibili parte corporis confera-
tur, etiam si conferatur in digito, & per quam-
cumque sensibilem quantitatem aquæ confe-
ratur, etiam si per guttam. Conatur Valquez
ad hanc opinionem trahere omnes auctores,
qui dicunt, quod si puer in utero versetur in
periculo, & appareat aliqua eius pars, quæ-
cumque fuerit, siue manus, siue pes, est bap-
tizandus, licet aliqui addant, quod quia non
est certum, utrum talis baptismus sit validus,
debet rursus baptizari sub conditione, dicen-
do: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Sunt
autem tales auctores S. Thomas hic quæst. 68.
art. 1. ad 4. Durandus in 4. dist. 6. num. 6. Scotus
dist. 4. quæst. 3. Gabriel quæst. 2. art. 3. dub. 2.
Paludanus quæst. 1. art. 2. conc. 2. Sylvester
verbo *baptismus*, & alij. Probatur, nam ad
baptismum sufficit ablutio etiam per modum
aspersio-
nis; sed ad hoc, ut homo sit simpli-
citer ablutus per modum aspersio-
nis, sufficit, ut sit sensibiliter aspersus aqua cuiuslibet
quantitatis, & in qualibet minima parte; ergo
&c.

12. Hinc sequitur, quod cum homo ab-
luitur, & profertur forma cum debita inten-
tione, prolata sufficienter forma, in quacum-
que minima parte homo sit sensibiliter ablu-
tus, statim baptismus est completus, & habet
suum effectum. Ratio est, quia tunc bap-
tismus est completus, cum sufficienter est po-
sita tum materia, tum forma cum debita in-
tentione; sed materia sufficiens baptismi est
qualibet minima ablutio sensibilis; ergo si sit
prolata sufficienter forma cum debita inten-
tione, baptismus iam est completus.

13. Baptismus cum potest, debet semper
ita conferri ut sit certum de eius valore, cum
verò aliter est collatus, debet iterari sub con-
ditione; cum non potest ita conferri, ut sit
certus, conferri debet eo pacto, quo potest,
ideoque infantes nondum nati in periculo
constituti debent baptizari eo pacto, quo pos-
sunt. Ratio est, quia cum baptismus sit sa-
cramentum summè necessarium ad salutem,
debemus in eo sequi opinionem tutiorem ei,
qui baptizatur; sed sequimur opinionem tu-
torem baptizato, dum conferimus bap-
tismum eo modo, quo possumus, & si bap-
tismus collatus non fuit certus, iterum bap-
tizamus sub conditione; ergo &c.

QVÆSTIO LXXXIX.

De unitate specifica, & numerica baptismi.

1. **Q**uæritur primo, utrum baptismus Chri-
sti specie differat à baptismo Ioannis,
& à baptismatibus legis mosaicae.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia
ea differunt specie, quæ differunt essentia, ac
definitione, siquidem definitio explicat spe-
ciem rei; sed baptismus Christi differt essentia,
ac definitione à baptismo Ioannis, & à bap-
tismatibus legis mosaicae; ergo &c. Probatur
minor. Ex dictis enim quæst. 85. num. 4. bap-
tismus Christi est sacramentum ex diuina institutione
significans, & causans internam, & spiritualem re-
generationem hominis per externam ablutio-
nem corporis, cum præscripta forma verborum; sed baptismus
Ioannis, & baptismata mosaica non erant
huiusmodi, siquidem non habebant vim infal-
libilem significandi, & cau-
sandi internam, & spiritualem hominis regenerationem, sed so-
lum conferebant sanctitatem quamdam ex-
ternam; ergo &c.

2. Quæritur secundò, utrum baptismus
aquæ specie differat à baptismo sanguinis, qui
est martyrium, & à baptismo flaminis, qui
est contritio.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia
baptismus, qui est propriissimè sacramen-
tum, specie differat à baptismatibus, quæ non
sunt sacramenta; sed baptismus aquæ propriè
est sacramentum, baptismus sanguinis, & flami-
nis propriè non sunt sacramenta; ergo &c.
Probatur minor. Nam ad sacramentum pro-
priè dictum requiritur, ut sit externum si-
gnum, & sacra quædam ceremonia; sed mar-
tyrium non est sacra ceremonia, contritio
non requirit vllum signum externum; ergo
&c.

3. Quæritur tertio, utrum baptismus aquæ
sit

fit sacramentum vnum specie infima?

Respondeo affirmatiuè, vt docet sententia communis, & certa. Probatum primò ex Paulo ad Ephesios 4. vbi exhortans fideles ad mutuam charitatem, concordiam, & pacem dicit *vna fides, vnus Dominus, vnum baptisma*; sed sensus huius exhortationis non potest esse alius, nisi: vos Christiani debetis seruare mutuam charitatem, concordiam, & pacem, siquidem habetis eundem dominum, habetis fidem eiusdem rationis, ac speciei, & baptizati estis baptismo eiusdem rationis, ac speciei; ergo. Probatum secundò. Nam tunc baptismus esset sacramentum vnum specie infima, cum non possent dari baptismi specie differentes in ratione sacramenti; sed non possunt dari baptismi specie differentes in ratione sacramenti; ergo &c. Probatum minor: baptismi tunc non possent differre specie in ratione sacramenti, cum non possent differre specie, neque ex parte significationis, neque ex parte signi: sed baptismi neque possunt differre specie ex parte significationis, siquidem omnes significant infallibiliter regenerationem hominis; neque possunt differre ex parte signi, siquidem significant regenerationem per abluionem aquæ, tanquam per materiam, & per verba significantia actionem baptizandi factam in nomine Trinitatis, tanquam per formam; ergo &c. Quod verò ablutio, quæ est materia proxima baptismi, fiat per immersionem, vel asperisionem, est differentia merè accidentalis circa modum abluendi. Quod actio baptizandi in nomine Trinitatis significetur, dicendo, *baptizatur seruus Christi*, vel dicendo *ego te baptizo*, est differentia merè accidentalis circa modum proferendi verba idem significantia.

4. Licet baptismus sit vnus specie, tamen baptismi multiplicantur numero, siquidem baptismus, quo baptizatur vnus homo, numero differt à baptismo, quo baptizatur alius homo. Et ratio est, quia baptismus est sacramentum regenerationis; ergo sicut generationes multiplicantur numero iuxta multiplicationem numericam eorum, qui generantur, sic regenerationes multiplicantur numero iuxta multiplicationem numericam eorum, qui regenerantur.

QVAESTIO XC.

De iteratione baptismi.

S. Thom. quæst. 66. art. 9.

1. Marcionistæ, vt refert Epiphanius hæresi 42. docuerunt posse hominem iterum baptizari, si post primum baptismum in alia peccata fuerit lapsus. Addit Epiphanius Marcionem hanc repetitionem baptismi inuenisse, quia post baptismum deprehensus fuerat in stupro. Aliqui eundem errorem tribuunt Donatistis, qui rebaptizabant baptizatos à Catholicis, & Anabaptistis, qui rebap-

tizabant eos, qui baptizati fuerant antè ætatem adultam. Sed verè neque Donatistæ, neque Anabaptistæ docuerunt posse hominem pluries baptizari, sed Donatistæ rebaptizabant baptizatos à Catholicis, quia censebant baptismum catholicorum esse inualidum; Anabaptistæ rebaptizabant baptizatos antè ætatem adultam, quia censebant neminem postea validè baptizari antè ætatem adultam.

2. Dicendum baptismum non posse pluries conferri, ita vt sit validus. Conclusio de fide, ac definita est à Concilio Viennensi prout habetur in Clementinis, capite primo §. vltimo de *summa Trinitate*, à Concilio Florentino in decreto pro Armenis, à Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacramentis in generali, can. 2. de Baptismo. Constat etiam ex antiquissima Ecclesiæ traditione, quæ colligitur ex SS. Patribus, qui videri possunt apud Valerium hic, disp. 143. cap. 3. Eandem catholicam veritatem docuit Paulus ad Hebræos per illa verba: *Impossibile enim est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cælestis participis facti sunt Spiritus Sancti, virtutesque celi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei*. Neque enim, vt quidam hæretici existimant, & cum eis Tertullianus lib. de pudicitia, cap. 20. Paulus verbis citatis docet eos, qui semel in baptismo fuerunt illuminati, & iustificati, si gratiam amittant, non posse iterum renouari per penitentiam. Nam vt rectè notat S. Ambrosius lib. de penitentia infra citando, ipsemet Paulus ad Corinthios cap. 5. asserit fidelibus, & baptizatis peccata per penitentiam condonari. Docet igitur Apostolus eos, qui per baptismum fuerunt illuminati, & renouati, si peccando gratiam baptismalem amiserint, non posse iterum per baptismum renouari, siquidem sicut Christus semel tantum crucifixus, & mortuus est, sic homo semel tantum potest per baptismum remitti peccatis, ideoque qui rebaptizantur iterum, in se ipsis repræsentatiuè iterum crucifigunt Filium Dei: & ita hunc locum interpretantur Hieronymus, Chrysostomus, Theophilactus, & Theodoretus in commentariis eius loci; Ambrosius lib. 2. de penitentia, cap. 2. Augustinus lib. 1. de vera, & falsa penitentia, cap. 3. S. Thomas hoc art. 9. quæst. 66. & alij.

3. Ratio, cur baptismus iterari non possit, desumitur ex diuina institutione. Sed quia diuina institutio fuit rationabilis, & accommodata naturæ, ac significationi baptismi, iuxta S. Thomam asserit quatuor rationes fundatas in auctoritate Patrum, propter quas iuxta naturam baptismi conueniens fuit, vt iterari non possit. Prima ratio est. Baptismus est regeneratio spiritualis; sed per carnalem generationem semel tantum possumus nasci; ergo conueniens fuit, vt per baptismum semel tantum possemus renasci. Ideo Augustinus tract. 11. in Ioannem explicans illa verba

cap. 1.

cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* dicit: *Quomodo enim vitæ non potest repeti, sic nec baptismus.* Secunda ratio est. Baptismus significat mortem, & sepulturam Christi; ergo sicut Christus semel tantum mortuus est, sic homo semel tantum baptizari potest, & qui pluries baptizatur, rursus crucifigit in se ipsis Filium Dei, ut dicit Apostolus loco citato, quem locum explicans Glossa dicit: *Vna Christi mors, unum baptismum consecrauit.* Vtuntur hac ratione Ambrosius lib. 2. de poenitentia, cap. 2. Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 15. Damascenus lib. 4. de fide, cap. 10. & alij. Tertia ratio est. Baptismus est sacramentum imprimens homini characterem, quo fit christianus; sed character est indelebilis, ac non possunt eidem homini imprimi plures characteres eiusdem rationis; ergo baptismus iterari non potest ex indelebitate characteris, ut dicit Tridentinum, sess. 7. can. 9. docens baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse. Vtitur etiam hac ratione desumpta ex characterè Augusti tract. 5. in Ioannem, ubi acutè infert, quod sicut tyrannitatorquebant Martyres, ut ab eis extorquebant hoc verbum, *non sum Christianus*, sic qui rebaptizabant, extorquebant ab homine, ut opere ipso fateretur se non esse christianum. Siquidem cum baptismus sit sacramentum, quo homo fit christianus ex non christiano, ille solum potest rebaptizari, qui non est christianus. Quarta ratio est. Primarius effectus baptismi est absolutio peccati originalis, sed peccatum originale potest semel tantum incurri; ergo conueniens fuit, ut baptismus semel tantum posset conferri.

4. Cum rationabiliter dubitatur, vtrum quis fuerit baptizatus, debet rebaptizari sub conditione, ut decernitur ab Alexandro 3. cap. de Baptismo, & eius effectum per hæc verba. *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmissis, si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum. Rationem affert Leo Papa Epistola 37. ad Leonem Episcopum Rauennatem, cap. 1. & Epistola 79. ad Nicetam, dicens. *Prouideve debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incurramus animarum.* Porro ut notat Suarius hic, disp. 22. sect. 2. cum quis rebaptizatur solemniter, præsertim si dubium de prioris baptismi sit publicum, tunc ad auferendam quamlibet occasionem scandali, conditio est verbis exprimenda. At cum dubium est occultum, vel baptismus confertur secretò, satis est conditionem mente, atque intentione concipere, siquidem nullum est periculum scandali.

5. Ad rebaptizandum sub conditione, dubium debet esse morale, & prudens. Ratio est, quia si liceret ex dubio non morali, qualia solent esse dubia scrupulorum, rebaptizare sub conditione, homines scrupulosi-

sapissimè vellent rebaptizari, cum magna irreuerentia sacramenti. Debet autem aduerti ex Soto, Paludano, & Vasquez hic, disp. 146. cap. 4. quod de ijs, qui sunt nati ex parentibus fidelibus, atque educati inter christianos, moraliter est certum, quod fuerint baptizati, etiamsi nullum aliud testimonium de eorum baptismo inueniatur, ideoque nisi certissimis argumentis probetur illos non fuisse baptizatos, nunquam sunt rebaptizandi sub conditione. Ut enim dicit Innocentius 3. capite veniens de Præsbytero non baptizato. *De illo, qui inter christianos est fideliter versatus, tam euidenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hac præsumptio pro certitudine habenda sit, donec euidentissimis argumentis contrarium probetur.* E conuerso cum quis educatus fuit inter infideles, adeoque præsumi non potest eum esse baptizatum, nisi certissimis testibus constet illum fuisse baptizatum, debet rebaptizari sub conditione. Sufficit tamen ad faciendam moralem certitudinem de baptismo vnicus testis fide dignus, ac de visu.

6. Addimus ex iisdem Paludano, Soto, & Vasquez paruulos expositos baptizandos esse sub conditione, excepto casu, quo fuissent expositi cum testimonio scripto in aliqua chartula de eorum baptismo. Immo si posset prudenter dubitari eos expositos fuisse à Iudæis, vel Saracenis, debent baptizari, etiamsi habeant testimonium. Demum aduertimus, quod non solum debent sub conditione rebaptizari ij, de quibus dubitatur, an fuerint baptizati, sed etiam ij, de quibus dubitatur, an fuerint validè baptizati, propter aliquem defectum in forma, vel in materia &c. Rursus debent rebaptizari non solum ij, de quorum baptismo est dubium purè negatiuum, sed etiam ij, de quorum baptismo est dubium positiuum, ita ut sit probabilitas pro vtraque parte. Et ratio est, quia sacramentum necessarium non debet exponi probabilitatibus opiniorum.

QVÆSTIO XCI.

De ritu baptismi.

S. Thom. quæst. 66. art. 10.

1. **D**Vplex ritus baptismi debet distingui, essentialis & accidentalis. Ritus essentialis includit omnia, sine quibus baptismus non esset validus. Talia sunt, ut minister cum debita intentione saltem faciendi, quod facit Ecclesia, baptizet baptizari volentem, si sit adultus, aqua naturali, ac proferat formam iam explicatam. Baptismus semper est validus, si nihil horum desit; semper est inualidus, aliquo horum deficiente. Ritus accidentalis baptismi includit omnia ea, quæ totet Ecclesia addere ritui essentiali, quibus abla-

ablatis, ac remanentibus essentialibus, adhuc baptismus esset validus.

2. Certum est ritum accidentalem baptismi, quo Ecclesia vitur, esse convenientissimum. Ecclesia siquidem, quæ regitur à Spiritu Sancto, nihil inordinatum facit circa administrationem communem sacramentorū. Tres affert rationes S. Thomas in corpore art. 10. propter quas Ecclesia ritui essentiali addit ritum, & ceremonias accidentales, quæ spectant ad solemnitatem baptismi. Prima ratio est, ad excitandam deuotionem, ac reuerentiam fidelium circa sacramentum. Quædoquidem enim ablutio baptismalis est actio sacra, debet fieri cum tali solemnitate, vt appareat fidelibus tamquam actio sacra. Secunda ratio est, vt per ceremonias, tamquam per signa externa, fideles excitentur ad quærendam earum significationem, & sic instruantur de effectibus baptismi. Tertia ratio est, vt per orationes, ac benedictiones prohibeantur demones ab impediendis effectibus sacramenti.

3. In solutione obiectionum affert S. Thomas rationem trium particularium rituum. In responsione ad primum affert rationem, propter quam licet Christus baptizatus fuerit in Epiphania, tamen Ecclesia solemnes baptismos non celebrat in festo Epiphaniæ, sed in vigilia Paschæ, & Pentecostes. Ratio est, quia licet Christus baptizatus fuerit baptizatus à Joanne in Epiphania, tamen baptismus à Christo institutus habet virtutem ex passione, morte, ac Resurrectione Christi, & ex Spiritu Sancto; ergo conueniens fuit, vt solemnes baptismi celebrarentur in vigilia Paschæ, & Pentecostes, in quibus recolitur memoria mortis, ac Resurrectionis Christi, atque aduentus Spiritus Sancti. In responsione ad secundum affert rationem, cur qui baptizantur, his inungantur oleo sancto, primo in pectore, & in scapulis, deinde chrismate inungantur in vertice. Antequam baptizentur, inunguntur in pectore, & in scapulis, quasi Athletæ Dei, vt dicit S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis, cap. 21. sicut pugiles mundi consueverunt. Post baptismum, vt dicit idem lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. *Vnguentum super caput effunditur, quia sensus sapientis in capite eius, vt scilicet sit paratus omnipotenti de fide reddere rationem.* In responsione ad tertium, rationem affert, cur baptizatis tradatur vestis candida. Traditur vestis candida, tum in signum resurrectionis, ad quam per baptismum regeneramur, tum ad significandam puritatem vitæ, quam homines debent post baptismum obseruare, iuxta illud Pauli ad Romanos 6. *In nouitate vitæ ambulemus.* De alijs ritibus agit ex professo S. Thomas infra quæst. 71.

QVÆSTIO XCII.

De tribus baptismis, aqua, flaminis, & sanguinis.

S. Th. qu. 66. art. 11. & 12.

1. **T**heologi communiter cū magistro 4. dist. 4. & cum S. Thoma hic, agnunt tria baptismata: baptismum aquæ, baptismum sanguinis, & baptismum flaminis. Baptismus sanguinis est martyrium, in quantum in homine nō baptizato baptismus aquæ, supplet effectum primum baptismi, iustificando ipsum. Baptismus flaminis est contritio ex perfecta charitate, in quantum in baptizato supplet effectum baptismi aquæ, iustificando. Dicitur autem baptismus flaminis, hoc est Spiritus, quia homo ad actum contritionis mouetur à Spiritu Sancto, quod vocatur etiam flamen. Hinc sequitur, quod non semper contritio, & martyrium habent rationem baptismi, sed tunc solum, cum suppleant effectum baptismi aquæ: & quia cum homo iam baptizatus facit actum contritionis, vel moritur pro fide, tunc contritio & martyrium non suppleant effectum primum baptismi aquæ, ideo tunc martyrium, & contritio non habent rationem baptismi.

2. Baptismus flaminis, & sanguinis non sunt sacramentum, vt docet S. Thomas hic art. 11. ad 2. Ratio est, quia ad sacramentum inter alia requiritur, vt sit externa ceremonia facta à ministro ex intentione faciendi remissionem peccatorum; sed contritio non requirit ullam externam ceremoniam, martyrium non debet conferri à ministro ex intentione faciendi actionem sacram; ergo non sunt sacramenta, vt etiam dictum est supra quæst. 89. num. 1. Rursus baptismus sanguinis, & flaminis non præstant omnes effectus baptismi aquæ. Nam baptismus aquæ imprimat characterem, quæ non imprimunt baptismus sanguinis, & flaminis, vt docet S. Thomas artic. 12. ad 2. Rursus baptismus aquæ, si nō sit obex, non solum aufert totum reatum culpæ, sed etiam totum reatum poenæ: at contritio non semper aufert totum reatum poenæ.

3. Baptismus sanguinis includit baptismum flaminis in adultis, vt docet S. Thomas art. 12. ad 2. Ratio est, quia effusio sanguinis fiat sine charitate, quæ est baptismus flaminis non iustificat, adeoque non habet rationem baptismi, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest;* ergo baptismus sanguinis, hoc est martyrium, includit charitatem, quæ est baptismus flaminis. Sed de martyrio agetur iam quæst. 93. sequentibus. Addimus cum eodem S. Thoma art. 12. quod baptismus sanguinis est potissimus inter baptismata. Ratio est, quia ille baptismus est potissimus, per quem passio Christi

Christi, ac Spiritus Sanctus, à quibus baptis-
mus habet efficaciam, perfectius operatur;
sed passio Christi, ac Spiritus Sanctus perfe-
ctius operantur in baptismo sanguinis, quam
in baptismo aquæ, vel fluminis; ergo &c.
Probatur minor. Nam passio Christi in ba-
ptismo sanguinis operatur per intensiorem
operis, Spiritus Sanctus in baptismo sangui-
nis operatur per charitatem perfectam, iuxta
illud Ioannis 15. *Maiorem dilectionem nemo ha-
bet, quam ut animam suam ponat pro amicis
suis; ergo &c.* Quia verò præcipuus effectus
baptismi est iustificatio, ideo cum baptismus
sanguinis, quoad hunc effectum præster aliis
baptismatibus, præstat simpliciter, licet ba-
ptismus aquæ præster secundam quid, in-
quantum est sacramentum, & imprimat cha-
racterem.

4. Non dantur alia baptismata regenerati-
ua hominis præter ista tria; dantur tamen alia
baptismata generaliter, de quibus agit Dama-
scenus lib. 4. de fide, cap. 10. relatus à S. Tho-
ma art. 2. ad 3. cuiusmodi fuerit diluuium;
transitus maris rubri, diuersæ ablutiones le-
gis veteris, baptismus Ioannis &c.

TRACTATUS XII.

De martyrio, seu baptismo sanguinis.

QVÆSTIO XCIII.

De persecutore, & causa mortis requisita ad martyrium.

1. **Q**uæritur primo, quinam dicantur pro-
priè martyres?

Respondeo, quod martyr græcè idem si-
gnificat, ac latine testis. Licet autem, ut do-
cet Origenes tom. 3. in Ioannem explicans
illa verba cap. 5. *Hic venit in testimonium, ex
prisco vsu Ecclesiæ, quicumque testimonium
Christo perhibet, in aliquo sensu latiori pos-
sit dici martyr, tamen strictè loquendo mar-
tyres ij solum dici debent, qui testificati sunt
christianam veritatem, acceptando pro ea
mortem.*

2. **Q**uæritur secundo, quæ personæ sint
considerandæ in martyrio?

Respondeo, quod in martyrio duæ per-
sonæ sunt considerandæ, persecutor nimirum,
qui est agens, & mortem sustinens, qui est
patiens. Alphonfus de Castro, verbo *marty-
rium*, & Plateolus verbo, *Petilianus* referunt
Petilianum Donatistam ab Augustino tribus
libris confutatum, docuisse martyres etiam
esse eos, qui malè admissorum poenitentes,
se ipsos occidunt. Affinis videtur error quo-
rundam ex facie Donatistarum, qui dicti sunt
circumcelliones, qui vt refert Augustinus li-

bro de Hæresibus, hæres. 68. & epist. 50. Et
asitè Augustinum Optatus Mileuitanus lib. 3.
contrà Parmenianum, ex barbara quadam
truculentia insilliebant in ignes, & in mare, &
saxis se præcipitabant, occurrebant viatoribus
armatis, eisque minabantur, nisi ab ipsis oc-
ciderentur, & mortem hoc pacto moraliter
sibi ipsis illatam vocabant martyrium, atque
vt ait Augustinus lib. 2. contrà Petilianum,
cum viuerent vt latrones, iactabant se mori vt
martyres. Contrà hos errores de fide est per-
secutorem inferentem mortem debere esse
personam distinctam à martyre mortem pa-
tiente, adeoque eos, qui sibi ipsis physicè,
vel moraliter mortem inferunt, non esse mar-
tyres, sed esse scelestos homicidas suiipso-
rum.

3. Licet Circumcelliones, qui se ipsos ex
quodam furore occidebant, non fuerint mar-
tyres, tamen aliqui viri sancti, qui ex speciali
impulsu Spiritus Sancti, instantibus persecu-
toribus, & mortem inferre paratis, vt chris-
tianiæ constantiæ specimen præberent, spontè
in ignes, aquasque insiluerunt, verè fuerunt
martyres. Ratio est, quia persecutores para-
ti necem inferre, & occasionem dantes præ-
ueniendi, moraliter fuerunt causa mortis,
adeoque illi christiani passi sunt mortem à
persecutore distincto, & cum hæc egerint ex
impulsu Spiritus Sancti, non peccarunt. Cele-
brantur hoc nomine 300. martyres Cartha-
gine in fornacè passi, quos exornat Augusti-
nus serm. 3. de diuersis, & Prudentius hym-
no 12. eorumque mentio fit in Ecclesiasticis
tabulis 24. Augusti. ac vocantur *massa candi-
da*. Eadem est ratio de quibusdam mulieri-
bus, quæ ex impulsu Spiritus Sancti ad fu-
giendum dedecus contrà castitatem, abiece-
runt se in aquas, vel confoderunt sese, certæ
mori, vt non viuerent contaminatæ. Multa
huiusmodi exempla affert Baronius anno
309. & Espenceus lib. 4. de Contia. cap. 14.
& 15. Videri etiam potest S. Thomas 2. 2. quæ-
st. 124. art. 1. ad 2.

4. **Q**uæritur tertio, quinam dicatur per-
secutor, & quæ requirantur ad hoc, vt mar-
tyrem faciat?

Respondeo, quod persecutor dicitur is,
qui christianum exagitat, quia christianus
est, vel quia aliquid ad Christi doctrinam
pertinens, verbo, aut opere profitetur. Vt
persecutor martyrem faciat, duo requirun-
tur. Primum est, vt re ipsa mortem inferat in
se ipsa, vel saltè in necessaria causa, ideo-
que mors tolerata est velut materiale marty-
rij. Si ergo aliquis in odium fidei crucietur,
sed non occidatur, est martyr affectu, re ipsa
martyr non est, ideoque à Beato Laurentio
Iustiniiano sermone de Innocentibus, qui cru-
ciantur, sed non occiduntur, dicuntur vol-
untate, non actu martyres: à S. Augustino
lib. de Sancta Virginitate, cap. 45. & libro de
bono coniugali, cap. 21. dicuntur pati mar-
tyrium in habitu animi, non in ipsa mortis
expe-